

errores ipse postea confutat, et illa duo præcipua hujus doctrinæ fundamenta, quod gratia non detur ex meritis, et quod præcedat libertatis bonum usum, sitque principium salutis ex illa, non ex nobis, late confirmat. Post illas etiam epistolas adjungitur, in eodem tomo epistolarum, tractatus quidam Gelasii, in cujus prima parte multa de gratia Christi erudite tradit, specialiter vero tractat quæstionem illam, an in hac vita contingat aliquem vivere sine peccato, aut sine peccati fomite, cujus sententiam suo loco referemus.

23. *Summus Pontifex Hormisda palam et libros Augustini ad Hilarium et Prosperum et gratiam defendit.* — Post Gelasium, doctrinam catholicam de gratia confirmavit Hormisda papa (nam de Anastasio II, de Symmacho, qui inter eos fuerunt, nihil invenimus). Hormisda vero, in epist. 67 ad Possessorem, occasione interrogationis ejus de libris Fausti, breviter definitiones priorum Pontificum amplectitur et confirmat: tum in eo quod Fausti libros inter apocryphos rejecit, quia eos in auctoritate Patrum examen catholice fidei non recepit; quod propter decretum Gelasii de libris Ecclesiasticis dixisse videtur: tum etiam in eo quod *fixu* dicit esse a Patribus, quæ fideles sequi debeant, instituta, a quibus qui exorbitat, errat. Quæ regula, cum in tota materia fidei certissima sit, in hac specialiter ab Hormisda commemorari videtur, propter illa quæ de gratia Pontifices definierunt; unde subjungit: *De arbitrio libero et gratia Dei, quod Romana, hoc est, catholica sequatur, et asseret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si ibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus, quanquam qui Apostoli verba diligenter considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscit.* In quibus verbis illa notanda sunt, et maxime ad Hilarium et Prosperum. Agebat enim ibi Hormisda de doctrina necessaria ad cavendum semipelagianum errorem, qui in libris Fausti defenditur, quæ doctrina in illis libris Augustini maxime continetur; et ideo Hormisda de illis maxime locutus est. Simulque videtur illis verbis occurrere Semipelagianis. Illi enim libros Augustini de Prædestinatione et de Perseverantia nolebant includi sub generali laudatione librorum Augustini a Cœlestino scripta, quia illos non expresserat, ut supra retuli; Hormisda vero, ut tergiversationem eorum damnaret, dixit catholicam doc-

trinam de Gratia in illis libris Augustini maxime contineri; illos enim, et non alios, ad Hilarium et Prosperum Augustinus scripsit.

24. *Canones Leonis ab Hormisda referuntur, qui sunt secundi Concilii Arausicani.* — Deinde, adverte capitula illa in seriniis ecclesiasticis contenta, de quibus Hormisda loquitur, non videri esse alia nisi canones a Leone ad Episcopos Galliæ, qui in Concilio II Arausicano postea convenerunt, missos. Nam per se credibile est illos in scriniis ecclesiasticis conservatos esse, ac subinde de illis loqui Hormisdam, quia nullibi reperimus alia capitula de hac materia specialiter a Sede Apostolica edita, et ad alias Ecclesias missa. Nam, licet plures epistolæ decretales eandem doctrinam continentes a Pontificibus scriptas sciamus, et non paucas illarum habeamus, non tamen scimus, nec habemus alia capita quæ a Sede Apostolica emanaverint, et doctrinam de Gratia, præsertim contra Semipelagianos, contineant, præter canones illius Concilii Arausicani; et ideo, sine dubio, est vehemens conjectura de illis esse locutum. Nec de auctoritate hujus epistolæ dubitare jam licet, cum, ex veteri codice Vaticano, cum aliis editam habeamus, præter alia quæ in illius defensionem congerit Baronius, anno 250, n. 22 et sequentibus.

25. *Tranquillitas divine gratiæ.* — Ex his ergo omnibus, satis constat quam constanter Romani Pontifices hæreticis male de gratia Dei sentientibus restiterunt, quamque manifeste et luculenter gratiam Dei prædicarunt. Post dictorum autem Pontificum tempora, usque ad Lutherum, non invenimus aliquid denuo ab Episcopis Romanis de gratia traditum, quia necessarium non fuit, cum Ecclesia in magna concordia, quantum ad catholicam de gratia doctrinam, generatim loquendo, fere toto illo tempore vixerit. Quod si interdum contrarius error reviviscere cœpit, statim per eandem Romanam Ecclesiam sopitus est, sicut in Oriente contigit tempore Gregorii. Nam, cum Joannes, Patriarcha Constantinopolitanus, pelagianam doctrinam inducere tentaret, statim Gregorius ejus errorem detexit, et expugnavit libro sexto, epistola tertia, et aliis, quæ capite vigesimo indicabimus. In Occidente vero, cum in Scotia eadem hæresis reviviscere inciperet, Severini et Joannis Pontificum tempore, statim recognita auctoritate Ecclesiæ Romanæ dissipata est, ut auctor est Beda, libr. 2 Histor. Anglic., c. 19, ubi, ex epistola Joannis IV ad Episcopos Sco-

tiæ, hæc refert notanda verba: *Cognovimus quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reviviscit, quod omnino hortamur ut a vestris mentibus hujusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet, quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed et quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur, et hortamur ne quorum arma sepulta sunt, eorum apud vos cineres suscitentur.* Postea vero duo præcipua dogmata contra Pelagium confirmat, nimirum, dari peccatum originale, et necessariam esse gratiam ad vitanda peccata. Et ita finita omnino fuit antiqua contentio cum Pelagianis, et ideo sequentes Pontifices usque ad nostra fere tempora nihil de gratia scripserunt, nisi fortasse obiter, et per occasionem. Sic enim Leo IX, in epistol. ad Petrum Antiochenum suam fidem profitendo, inter alia dicit: *Deum prædestinasse solummodo bona, præcivisse autem bona, malaque. Gratiam Dei prævenire, et subsequi hominem, credo et profiteor, ita tamen ut liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.*

26. *Iterum redit doctrina de gratia.* — Post exortos vero Lutheranos et Calvinistas, necessarium fuit supremo Ecclesiæ Pastori eis resistere, veramque de gratia doctrinam iterum tradere et amplius explicare. Quod imprimis fecit Leo X articulos Lutheri damnando, et postea Paulus III et Pius IV, Concilium Tridentinum cogendo et confirmando. Est autem advertendum priores Pontifices, quando occasione Pelagiani erroris de Gratia scripserunt, præcipue, et quasi ex instituto gratiæ necessitatem, et gratuitam ejus donationem tradidisse ac definivisse. Contra excessum vero eorum qui gratiam ita exaggerabant, ut liberum arbitrium tollerent, ex professo non definierunt, quia nec ea res tunc agebatur, nec necessaria erat, quoniam libertas arbitrii contra Manichæos satis erat a veteribus propugnata, et contra Priscillianistas a Leone Papa, epistol. 94, alias 93, et in tomo Pontif. Epistol., epistola quarta, capite undecimo, qui necessitatem operum, non ex gratia, sed ex sideribus ponebant. Pelagiani vero potius pro libertate pugnant. Quia vero negabant posse gratiam cum libero arbitrio conciliari, et ex libertatis assertionem gratiæ negationem inferebant, ideo iidem Pontifices allegati, præsertim Innocentius, Zosimus et Cœlestinus, docuerunt gratiam cum libertate posse, et debere conjungi. Nunc vero, quia non negationem

gratiæ, sed potius illius exaggerationem negatur liberum arbitrium, ideo a posterioribus Pontificibus, et præsertim a Concilio Tridentino ex instituto damnata est illa nimia et erronea gratiæ exaggeratio, et declarata ac definita concordia inter gratiam et liberum arbitrium, ut capite vigesimo dicam. Non defuerunt tamen in his temporibus qui (sine pertinacia hæretica) doctrinam ad utrumque errorem claudicantem introducere tentaverint, quibus novissime Apostolica Sedes per Pium V et Gregorium XIII se opposuit, quorum censuram hoc loco inserere, quia in sequentibus sæpius est usui futura, necessarium duximus, ut facilius, ab omnibus hujus nostri laboris studiosis, sciri et legi valeat ac intelligi.

CAPUT II.

DE CENSURA PII V ET GREGORII XIII ALIQUARUM ASSERTIONUM, PARTIM NATURE, PARTIM GRATIÆ NIMIUM TRIBUENTIUM, AUT DETRAHENTIUM.

1. Fuit nostris temporibus, in Lovaniensi academia, doctor quidam catholicus et eruditus, cujus nomen, cum Pontifices silentio præterierint, libenter tacerem, nisi jam ex aliorum libris et scriptis esset notissimum, scilicet, Michael Baius. Ille igitur, in aliquibus libris quos de charitate et rebus aliis scripsit, varios articulos, seu assertiones posuit, in quibus nunc ad pelagianismum, nunc ad lutheranismum, et calvinismum inclinavit. Cumque esset expectatæ probitatis et doctrinæ, ut in Bulla significatur, facile potuit auctoritate sua plures in suam sententiam ducere, et academiam illam catholicam et insignem corrumpere, aut perturbare. Cui malo ut occurrerent, dicti Pontifices hanc Bullam ediderunt, in qua et assertiones Baii referunt, et illas adhibita generali censura reprobant, et sub gravissimis penis prohibent, cui censuræ auctor, ut catholicus, paruit, et turbatio tota sublata est. Tenor autem Bullæ est qui sequitur:

BULLA PII V ET GREGORII XIII, IN QUA NONNULLE PROPOSITIONES, DE VIRIBUS NATURE ET GRATIÆ, DAMNANTUR.

2. *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Provisionis Nostræ debet provenire subsidio, ut ea quæ a prædecessoribus Nostris emanarunt, suadente maxime fidei catholice conservatione, ubicumque opus est, producantur: quare Nos tenorem*

litterarum felicis recordationis Pii Papæ V, prædecessoris nostri, in ejus registro reper- tum, describi, et præsentibus annotari fecimus, qui talis est: Pius Episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus quas in hoc loco a Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animus nostrum excruciat dolor, quod religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestionem dissectus in alios atque alios errores passim et promiscue deseratur. Quantum vero ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illi simul atque prosiliunt, penitus oppri- mantur. Magno etenim mœrore afficimur, quod plerique, spectate alioqui probitatis et doctrinæ, in varias sententias offensionis et periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt, deque eis etiam in scholis invicem controvertantur, cujusmodi sunt sequentes:

Prima. Nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum, ex natura sua, est mortis æternæ meritorium; sic bonum opus, ex natura sua, est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita æterna homini integro et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum; et bona opera ex lege naturæ ad consequendam illam per se sufficientia.

5. In promissione facta Angelo et primo homini, continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed, juxta modum loquendi sacræ Scripturæ, non recte vocantur gratia, quo fit ut tantum merita, non et gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest meritum bonum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro et Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundum usum Scripturæ nomine gratiæ tantum ea munera intelliguntur, quæ per Jesum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merces quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutionem pænæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe manet, et corporis resurrectionem propriæ, non nisi meritis Christi adscribendam esse.

11. Quod pie et juste in hac vita mortali usque ad finem conversati vitam consequimur æternam, id non propriæ gratiæ DEI, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo DEI judicio deputandum est.

12. Nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam justificationem generis humani, in qua lege naturali institutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

13. Pelagii sententia est: Opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cælestis meritorium.

14. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti, ex eo quod sunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

15. Opera bona justorum non accipient, in die judicii, ampliorem mercedem quam justo Dei judicio merentur (alias, mererentur) accipere.

16. Dicit rationem meriti non consistere in eo quod qui bene operatur, habeat gratiam, et inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum quod obedit divinæ legi: quam sententiam sæpius repetit, et multis rationibus probat fere toto libro.

17. In eodem libro sæpius repetit quod non est vere legis obedientia, quæ fit sine charitate.

18. Dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium, ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

19. Dicit opera catechumenorum, ut fidem, et pœnitentiam ante remissionem peccatorum factam, esse vitæ æternæ merita, quam vitam non consequentur catechumeni, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

20. Videtur insinuare quod opera justitiæ et temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint majorem valorem.

21. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

22. Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

23. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 1: Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt: intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

24. Absurda est sententia eorum qui dicunt hominem, ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, super conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe et charitate Deum supernaturaliter coleret.

25. A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia: hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus.

26. Et ad pelagianismum rejicienda est illa sententia. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

27. Integritas primæ creationis non fuit indubitata humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio: quam sententiam repetit, et probat per plura capitula.

28. Liberum arbitrium, sine gratia et Dei adjutorio, non, nisi ad peccandum, valet.

29. Pelagianus est error dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

30. Non solum fures hi sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde quam per Christum in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam, conscendi posse dicunt, aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere posse hominem, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur.

31. Charitas perfecta, et sincera, quæ est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, et legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis,

¹ In exemplari quod refert Lorea, dicitur, aut tentationi universaliter; sed antiquum exemplar, quod Romæ habui ante triginta annos, habet, aut tentationi ulli, et ita etiam habetur in exemplari adjuncto ad librum P. Vasquez in epistola Pauli. (Not. Suarez.)

quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratiæ, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris, et pluribus veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia, per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

37. Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etsi in necessitate fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominantis cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate sub libertatis nomine, non reperitur in Scripturis, sed solum libertatis a peccato.

42. Justitia qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque quæ a fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, et vere legis justitiæ, non tamen iis obtinentur incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet ratio-

nem peccati sine ulla relatione et respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntati voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eique non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus, recedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria quibus vere non consentit, et quæ homo incitus patitur, sunt prohibita præcepto: Non concupisces.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus ejus est conditionis, ut suum auctorem, et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, non tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt: actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad penam.

57. Inde in sacramento baptismi, aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium sacerdotis solum liberat a reatu.

58. Peccator penitus non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, penitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat, ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynam, aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporaliibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioqui essemus, aliqua saltem ex parte, redemptores, sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.

60. Per passiones sanctorum indulgentiis communicatas, non proprie redimuntur delicta, sed per communionem charitatis, nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa doctorum distinctio, divinæ legis mandata bisariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet, secundum quem valent operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritorium, commentitia est et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bisariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit, vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda putatur.

63. Similiter illa quoque distinctio duplicis justitiæ, a terius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad penitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impletur, odiosissima et pertinacissima rejicitur.

64. Denique et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei penitentia et vitæ novæ propositum per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur vere, et palme vitæ in Christo efficitur, commentitia judicatur, et Scripturis minime congruens.

65. Non nisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, aut inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos facit implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi sacramentum conjuncta, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramentorum.

72. Omnes omnino afflictiones justorum sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Job et Mar-

tyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiiati, prohibiti præcepto: Non concupisces; unde homo dissentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum: Non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno penam temporalem restantem post culpam condonatum.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali.

3. Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, et proprio verborum sensu ab assertore intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensionem immittentes, respectivè, et quæcumque super his verbo scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, et abolemus, deque eisdem, et similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, et disputandi facultatem interdiciamus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis et officiis perpetuo privamus: atque etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculoque anathematis eo ipso inmodamus, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. Cæterum, ut jam commoti his de rebus tumultus et contracta odia facilius comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, dilecto filio nostro Antonio, tituli S. Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali, Granuellano nuncupato, per apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum et scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi prolo-

quia et disputationes; quid denique ad unionem et pacem cum communi omnium et Ecclesiæ catholicæ satisfactione componendam facto opus sit, imprimis diligenter expendat. Deinde, in his omnibus quæ pro communi salute, tranquillitate et honore optima judicaverit, salta semper ecclesiastica potestate, et perpetua unitate, etiam per alium, seu alios, fide, doctrina et religione præstantes ociosius exequatur, faciatque quidquid decreverit, inviolate ab omnibus observari, contradicentes quoslibet per censuras et pœnas prædictas, cæteraque juris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus, quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam de verbo ad verbum dicti indulti prius mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, ac litteris Apostolicis, specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorem existant, per quæ presentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus presentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, mandati, privationis, et innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et B. Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXVII, VII Kalendarum octobris, Pontificatus nostri anno II. Cæterum, volumus ut eorundem litterarum tenori hic conserto illa ipsa omnino fides adhibeatur, ubicumque et quomodocumque, sive in judicio, sive alibi ille fuerit exhibitus, vel ostensus, sicuti illius originalibus litteris prædictis adhiberetur, si ipsæ exhiberentur, vel ostenderentur. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac B. Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursum. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXXIX, IV Kalendarum februarii, Pontificatus nostri anno VIII.

4. Notabile circa assertiones relatas. — Circa materiam hujus decreti, advertendum